



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XIII. De Vtrama insula, & gente barbarißima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

postasæ immunditias congrua diluant satisfactione, indulgentiâ petita Doctoris.

Dux itaque talibus modis à beato viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum, utpote prædæ avidum, versis aquilis, ad sua redire præcepit.

Porro Episcopus voti compos, cum legatis rediens, attentis gregibus suis, optatæ pacis & securitatis nuncium reportavit: & quantum illi pridem de metu belli inestificati fuerant, & concussi, in tantum alacres facti sunt, & in fide Christiana fundati; sanè Doctori suo adscribentes patriæ liberationem: seruusque Dei magnificatus est vehementer, in terra Pomeranorum. Ille verò nihil meritis suis tribuens, tanto se humiliorem apud Deum & homines exhibuit, quanto sine illius auxilio se nil posse sciebat: dimittensque nuncios, de quibus supra dictum est, Marchioni & Saxonibus gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus & de suo statu, mandans quæ audissent, & vidissent, ad Dei gloriam dominare.

*Dux Polonia domum reuertitur cum exercitu.*

*S. Otto trepidis Pomeranis pacis nuncium adfert.*

### De Verania insula & gente barbarissima.

#### CAPVT XIII.

**E**Rat autem Vernoimæ illis diebus Dux pariter & Episcopus. Est autem insula quædam non longè à ciuitate illa, habens mare interiectum, quasi itinere vnus diei, Verania nomine. Sed loci huius incolæ duri erant & barbari, singulari feritate crudeles. Hi prædicatione beati viri dudum compertâ, omnia, quæ de illo dicebantur, aspernati, mortem ei, si ad eos veniret, minabantur. Sed quò amplius duras eorum minas audierat, eò amplius in animo suo fixum habebat, illo ire, sperans ibi martyrij coronam se adepturum. De hoc verò cum Duce & aliis familiaribus suis, dum consilium tractaret, propter immanitatem

*Sefridus. Edit. Canis. cap. 10.*

*Feritas incolarum Verania Insula.*

*S. Otho cogitat  
clam petere Ve-  
raniam.*

periculi ab omnibus dissuasus est: quod ægerrimè ferens, ingeniosius agere cœpit, quomodo se, nescientibus eis, illo pro-riperet.

Hoc sentientes illi, cautius eum obseruabant, nullamque secreti opportunitatem, quò id aggredi posset, ei concede-bant: salutem illius, vitamque longiorem multis vtilem ac ne-cessariam memorantes. Verùm desiderij magnitudine nihil huiusmodi rationum audire potuit, illos modicæ potius fidei arguens, ac pusillanimitatem eorum increpitans, fidem Chri-stianam factis magis firmandam aiebat, quàm verbis, satisque inertes æternæ vitæ Prædicatores, qui pro illa vitam præsentem expendere formidarent. Et quid, inquit, fieret, si in his barba-ris nationibus euangelizantes pro Christi nomine omnes oc-cumberemus? Nimirum gloriosior esset prædicatio, quæ Mar-tyrum sanguine firmaretur. Sed, ô dolor, de tanto fratrum nu-mero, nec vnus, puto, dignus habebitur, morte sua devita, quam speramus, perhibere testimonium. Atqui verbis talibus verecundia nata est trepidantibus.

*De Udalrico sacerdote illuc directo euan-  
geli zandi gratia.*

CAPVT XIV.

*Sofridus.*

*Edit. Canis.  
cap. 10.  
Udalricus of-  
feri suam ope-  
ram pro Vera-  
nia insula.*



Udalricus autem venerabilis sacerdos constantior effectus, sciens hoc etiam seni placere, huic se peri-culo intrepidus offerebat. Comitè tantum & viz ducem postulans. Accepta igitur benedictione paraturam sacerdotalem, calicem quoque & librum, & cetera, quæ faciendæ Missæ ratio postulat, assumens, nauem con-scendit. Sed nos videntes fratrem nostrum vnicè charum so-lum ad martyrij palmam properantem, cum dehortari eum non auderemus, viam eius lacrymis vberioribus profecuti su-mus; qui horis quasi tribus prosperis flatibus nauigans, ferè iam ab oculis nostris ablatus fuerat. Et ecce tempestas oritur, ventisque cõtrariis ratem huc, illucque pellentibus, viam tenere non potuit: sed ad littus vnde exierat, post multam fatigatio-nem appulsus est. Ille

*Reticitur Udal-  
ricus ad littus,  
vnde soluerat.*